

Franz Wolf Hinricus Hierner

Collegii Theologici Disputatorii, Disputatio Duodecima, De Primo Protoplastorum Peccato

Rostochii: Richelius, 1697

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740903764>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 20. Febr. 1897

Wolf, Francisco */a*

I. N. J. (K)

COLLEGII THEOLOGICI
DISPUTATORII,
DISPUTATIO DUODECIMA,
DE
PRIMO PROTO-
PLASTORUM PEC-
CATO, 293

Quam,
adspirante DEI T. O. M. gratiâ, consensu
Pl. Rev. Facult. Theol.

PRÆSIDE

FRANCISCO WOLFIO,

TH. D. & P. P. Collegii Senatorii Seniore,

Pastore ad D. Mariæ, & R. Min. Rostoch.

Directore,

publico Eruditorum Examini

IN ACROATERIO THEOLOGORUM

subjecturus est

HINRICUS HIERNER,

Wœffelsflöta Hofsat. 1897

Universitäts-
Bibliothek
Rostock



ROSTOCHII, Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat. Typogr.

Anno 1697. d. 20. Februar,

M



S. 1.

Vamvis peccati absolutè primi natales Scriptura S. adscribat apostasiæ quorundam Angelorum in veritate non perstantium Joh. VIII. 44. h. l. tamen de primo horum peccato non agitur, sed de peccato primo ab homine commisso, & quod in certo genere primum vocari solet, per quod homo peccator factus, Theologiæ nostræ subjectum

constituere cepit.

S. 2. Vocatur *παραβάσις τῷ Ἀδὰμ* Rom. V. 14. & *παραπτώμα τῷ ἑνὸς* ib. v. 15. 17. non quod unicum tantum individuum humanum, sola persona Adami illud commiserit, contrarium enim docet historia Gen. III. à v. 6. sed quia Adam præcipua erat persona, mulieris caput, principium principale & radix generis humani, unde principaliter ad posteros sicut imago DEI debuisset, ita depravatio naturæ humanæ ad posteros fuit propagata. Idem vocatur *παρανομίᾳ τῷ ἑνὸς* Rom. V. 19., quod ex supino neglectu audiendi iussa, & obtemperandi mandatis supremi Domini proflexerit.

S. 3. Scilicet collocaverat DEus hominem ad imaginem ipsius conditum in horto Hedenis, ad colendum & custodiendum eum Gen. II. 15. Factâ ipsi potestate fruendi deliciis omnibus instructissimi hujus horti, nisi quod in experimentum obedientiæ interdixit ei comestionem de fructu arboris scientiæ boni & mali, sub interminatione mortis certissimæ ib. v. 17, si ex ea vesceretur. Ita in re aliàs indifferente & observatu per se facillimâ obedientiam ejus experturus. Hinc Augustinus in Psal. LXX. Si debuit aliquid DEus jubere, ut te, quod tibi expedit, sentires esse sub Domino, ab aliquâ re prohibendus eras, non propter illius arboris malitiam, sed perpetuam obedientiam. Non potuit DEus perfectiùs demonstrare, quantum sit bonum obedientiæ, nisi cum prohibuit ab eâ re quæ non erat mala.

S. 4. Diabolus verò in omnes nocendi occasiones intentus, seducturus & in peccatum inescaturus protoplastos, serpentem occupat, perq; eum mulierem omnium primo aggressurus interrogatione utitur: Utrum DEus prohibuerit vesci ex omni arbore horti? Subdubitare dum animadvertit mulierem, pergit illud negare Diabolus, omnem mali metum

tum excussurus, & promissa similitudine DEI, & eccellente scientiâ, dubitantem ad apostasiam sollicitat. Quibus auditis mulier, splendore promissionum & desiderio tantæ excellentiæ titillata, sentit quendam voluntatis complacentiam, quæ mox intellectus in assensum perlectus iudicat fortè fieri posse quæ promissor tanto hiatu pollicebatur, intuita mox arborem elegit tentare quæ serpens suaserat, adeoque decerpit & contra interdictum DEI comedit. Mox etiam viro, forte non sine suasionum illecebris, fructum comedendum porrigit. Qui desideriis ejus annuit, vescitur, & ita peccatum commisit vid. Gen. III, à v. 1.

§. 5. Ex quibus colligitur, fuisse hoc primum Protoplastorum peccatum peccatum actuale, & quidem ex pluribus actibus peccaminosis cum internis tum externis aggregatum & quasi contextum. Peccarunt (1) mente, per affectatam, non simplicem, legis Divinæ ignorantiam & dubitationem (2) corde ac voluntate libera, per liberam voluntatis à verbo legis aversionem (3) oculis in concupiscendo ducibus contempnendo & imbibendo svaivitatem fructus (4) pedibus accedendo ad arborem proximius. (5) Manibus decerpendo ejus fructus, porrigendo & apprehendendo & ori admovendo (6) ore & lingvâ cum colloquendo tum comedendo. Vid. Calov. Syst. Tom. 5. p. m. 128.

§. 6. Unde non tantum elucet gravitas hujus peccati, cum (1) tot distinctis actibus peccaminosis adunatum fuerit, sed etiam quod commissum (2) à conditis in scientiâ & summâ sanctitate, quæ facillè potuissent tentationes Diaboli superare. Scite Aug. l. 14. de C. D. c. 15. apud Gerh., æstimari oportet, quanta fuerit in peccando iniquitas, ubi tanta erat non peccandi facilitas (3) contra legem DEI adeo perspicuam & observatu facilem, non tantum positivam immediatè, sed etiam contra legem naturæ, animis ipsorum inscriptam, ipsamquæ ad eam legem DEI æternam. (4) Contra tantum benefactorem, contra semetipsos, & contra universam posteritatem (5) non contra unum decalogi præceptum sed contra omnia. Vid. hæc enumerantem Gerh. Ilagog. disp. 23. de lapsu primi hominis. c. 3. & Himmel: Syntagm. disp. theol. 8. §. 53. 54. Calovium, tom. 5. Syst. p. m. 130. seq.

§. 7. Atque hinc etiam constat peccatum hoc protoplastorum non fuisse perpetratum ex quâdam ignorantia invincibili & excusabili, aut etiam ex quâdam infirmitate naturæ concreata, sed quicquid hinc ignorantie intercessit, ad affectatam, vincibilem & inexcusabilem erit

referendum, cum per lucem & sapientiam concreatam omnino potuerint & debuerint verba legis clara intelligere, & nefas ducere contra tantum Legislatorem agere. Neque etiam tali infirmitate quâ posteri post lapsum laborabant, sed tantâ sanctitate & rectitudine omnium virium erant instructi, quâ, si voluissent, cunctas in contrarium sollicitationes facili negotio diffare potuissent.

§. 8. Quodnam verò in tanto peccatorum cumulo primum omnium in commissione & executione (quicquid etiam Adam primo intenderit) fuerit? disquiri solet. Ordinem prioritatis & posterioritatis si non in omnibus temporis, saltem naturæ, fuisse in congerie tot concurrentium peccatorum actualium certum est. Actum etiam internum seu peccatum internum fuisse primum peccatum, oppidè est credibile, cum actus externi inde *evopiat* habeant, quod ab internâ *evopiâ* dependant. Superbiam fuisse peccatorum horum omnium primum contendit Bellarminus, & cum eo alii. Sed nostrates rectius referunt ad intellectum, ejusquè dubitationem de sensu verborum legis quam deinceps alia longo ordine sint infecuta. Vid. Calov. Tom. 5. syst. à p. m. 142. & ante eum Gerh. Ifagog. Disp. 23. p. m. 850. nec non Himmel. Synt. Disp. 8. §. 57. p. 79.

§. 9. Causa peccati actualis primi hominum alia est moralis, & persuadens & impellens, alia physica efficiens, seu deficiens. Moralis erat Diabolus odiò & invidiâ aestuans, qui ideo dicitur homicida, loqui mendacium ex propriis, & mendax, & pater mendacii Joh. VII. 44. Alii vocant eum hujus peccati causam mediatam & remotam, nec non causam primam peccati: item causam externam & quidem principalem. Externa quidem, quia, licet omnis causa efficiens effectui seu causato suo externa dicatur, extra hominem in serpente latitabat tentator, & exterius persuadendo, sono in aëre formato per aures illabebatur menti. Principalem verò, quia serpente tanquam instrumento seductionis usus est. Erat verò Diabolus causa primi peccati non per immediatam determinationem voluntatis humanæ ad peccandum, nec per violentam exteriorè invitè etiam hominis ad peccandum adactionem, sed objectum quo ad peccandum homo invitari posset insinuando Gen. III. 6. &, argumento ab utili sumpto, persuadendo Gen. III. 4, 5. Cur enim hanc fermocinationem de internis tantùm Diaboli suggestionibus intelligamus, sensu literali deserto, causa prægnans non apparet. Hinc
1 Tim.

Tim. II. 4. mulier dicitur, seducta: cum Himmelio tamen internas suggestiones non excludamus Synt. Disp. 8.

§. 10. Causa instrumentalis, quæ tanquam organo seductionis Diabolus usus, fuit serpens, qui, tanquam callidior aliis bestiis Gen. III. 1. adhibitus poenam hujus seductionis expertus est. Gen. III. 14. Dicitur Hevam decepsisse versutiâ suâ 2 Cor. XI. 3. conf. Apoc. XX. 2. Et quidem (1) non metaphoricus, nec serpentis tantum species, sed verus & naturalis: non tamen (2) nudus & merè naturalis, sed Diabolo stipatus, obsessus & impletus. Quæ vide probata à Gerh. Disp. Isag. p. m. 841. seq. Quamvis in specie, num basiliscus, num alterius fortis, & cujus, fuerit hic serpens tacente Scripturâ ignoretur: Si quærat, quomodo Eva cum Adamo in pari luce agnitionis DEI, sanctitate & justitiâ condita decipi potuerit ignorando serpentem fuisse *ἄλαλον*? Respondet Gerhardus (1) Physica naturalium rerum scientia exquisitior esse potuit in Adamo, quam in Eva (2) Angelum per serpentem loqui non poterat suspicari ignara lapsus Angelorum (3) quia longâ experienciâ fuit destituta, quæ demum scimus bruta loquendi facultate esse destituta (4) ignorantia puræ negationis in statu innocentie locum habere potuit, non verò prave dispositionis. Disp. Isagog. 23. p. m. 844. Hinc cum serpens nondum esset maledictus, nec aspectu abominabilis, minus sibi ab eo timuit: Locutus verò est Diabolus per serpentem sicut postea Num. 22. 28. loquebatur angelus per asinam. Licet verò DEus tentationem hanc permiserit, DEus tamen Diabolum nec jussit nec impulit, ut tentaret, nec eo fine hanc tentationem permisit ut homo laboretur, sed potius ut vires in creatione acceptas exerceret, & per eas, ad victoriam sufficientes, obsequium DEO probaret.

§. 11. Causa verò actum primum peccandi producens physica, & principium ejus quod, est homo per accidentarium libertatis suæ ab usum non per languorem internum naturæ persuasionibus Diaboli consentiens, seqve à DEO avertens. Principium verò quo sunt facultates hominis (α) intellectus falsum sub specie veri apprehendens & de verbis DEI & Diaboli malè judicans (β) voluntas malum boni specie obductum eligens (γ) appetitus sensitivus fructus jucundi aspectu inescatus (δ) loco motiva denique agendo contra interdictum deficiens. Vocant hominem Theologi causam hujus peccati internam, eo quod hoc peccatum intra hominem fuit conceptum & natum, & immediatè

Ab hominē commiffum. Unde etiam voluntas hominis consentiens ejus causa immediata & propinqua vocari solet. Et quidem omnium primo inter homines seducta à Diabolo peccavit Eva, quæ deinceps Adamum in societatem peccandi pellexit. Cum i Tim. II. 14. dicitur, Adam non est deceptus, non erit illud intelligendum simpliciter, quod nullo modo fuerit deceptus, sed quod immediatè à Diabolo per alloquium serpentis non fuerit deceptus, nec causa fuerit transgressionis mulieri. Eva igitur prior, Adam verò posterior peccavit. Et cum Rom. V. 12. dicitur per unum hominem peccatum intrasse in mundum, respicitur partim ad initium peccandi ab Eva factum, partim per hominem unum intelligitur species una hominis in duobus individuis tum existens in unam carnem jungendis, quomodo principium completum & adæquatum & radicem unam universi generis humani constituunt. Esto verò soli viro præceptum de non comedendo ex arbore scientiæ datum immediatè à DEO, citra dubium tamen & Evæ idem interdictum DEI saltim indice viro innotuerat.

§. 12. Eadem persona, quæ est causa actûs primi peccaminosi efficiens, etiam est ejusdem materia in quâ seu subjectum quod, quatenus idem peccatum actuale in eodem subjecto recipiebatur; atque ad eò Eva & ab eadem in peccandi commercium pellectus Adam. Subjectum quò mediatum & remotum constituunt facultates animæ. Subjectum deniq; proximum interiores motus intellectûs, voluntatis & appetitus, ipsa etiam exterior actio seu comestio vetiti fructûs, in quibus *ἀνομία* extitit. Exactissime enim hic judice Gerhardò dispp. Isagog. disp. 23. c. 5. §. 1. distingvendum inter actionem ipsam & actionis *ἀνομίαν*.

§. 13. Objectum seu materia circa quam hoc peccatum primum committebatur distingvi potest in immediatum & mediatum. Immediatum erat lex illa DEI positiva: De fructu arboris scientiæ boni & mali ne comedas Gen. II. 17. Quia verò fundabatur hujus legis vis obligandi & auctoritas, in supremi legislatoris auctoritate super omnia & diligendi & timendi, idè transgressio hujus legis positivæ heic non subsistebat, sed ulterius se extendebat ad illam legem moralem & æternam: DEus, supremus ille legislator, super omnia est diligendus & metuendus. Et hinc etiam lex moralis & æterna objectum hujus peccati mediatum rectè constituitur, quod, mediante peccato contra legem dictam positivam, simul violabatur.

§. 14. For-

§. 14. Forma hujus peccati absolvitur congerie illâ actionum *ἐνομήων* interiorum, v. g. addubitatione & incredulitate, affectatione Deiformitatis, propositoque comedendi, & exteriori comestione vetitâ ex arbore illâ in obedientiâ experimentum positâ, adeoque in deflectione à lege DEI positivâ seu ejus transgressione Genes. II. 16. 17. cujus intuitu hoc peccatum vocatur *παραβάσις* Rom. V. 14.

§. 15. Quamvis verò DEus hoc peccatum primum permiserit, nequaquam tamen illud decreto quodam invariabili voluit, intendit & procuravit, ut ita occasionem misericordiâ & justitiâ suâ exercendâ & manifestandâ fortiretur: Contrarium testatur Scriptura Ps. LV. Permisit illud, dum liberam peccaturi, susque deque habitis interdicto & minis divinis, hominis voluntatem Physicè impedire noluit v. g. ad entitatem Physicam actûs non concurrente, objectum non removendo, peccatum destruendo, vel ei vim majorem injiciendo. Malevola certè, judice Augustino, illa fuerit benevolentia, quæ velit aliquem esse miserum, ut ejus possit misereri. Qui, ut faciat misericordiam, optet esse miserum, crudelem habuerit misericordiam. Quomodo si Medicus, ut exerceret artem suam, optaret multos esse ægros, crudelis medicina forer. Finis, quem quidem DEus permittendo hoc peccatum intendit, erat, ut homine liberè, ipso quamvis non volente, sed moraliter impediente & prohibente etiam sub certissimâ gravissimâque poenâ, peccante, ipse ex hoc peccato præter etiam & contra naturam tanti peccati, per sapientiam & bonitatem suam ingens quoddam eliceret bonum, nempe hominis lapsi per Christum reparationem Rom. XI. 32. in laudem gloriosâ gratiâ suâ. Diabolus contra seductione protoplastorum DEO intendebat, si posset, ægre facere, & ita severum adeo vindicis DEI in suum peccatum judicium, quodammodo hominum seductione ulcisci & hominem gratiâ DEI indignum iræquè DEI obnoxium factum in æternum exitium præcipitare. Hominis deniq; quem spe jam devoraverat, finis erat, ex comestione fructus, tantâ se (savitate visui & appetitui insinuantis, jamjam percipiendâ summa voluptas, conjuncta cum promissâ & penitus persuasâ excellentioris cujusdam sapientiâ & similitudinis cum DEO adeptione Conf. Gen. III. 6.

§. 16. Consequentia peccati primi hominum varia sunt. Quædam respectu (1) Diaboli seductoris (2) serpentis, organi seductionis (3) protoplastorum & posterorum simul (4) protoplastorum tantum (5) posterorum tantum.

§. 17.

§. 17. Respectu Diaboli, ejus sententia condemnatoria Gen. III. 15. Respectu serpentis verò, ejus maledictio Gen. III. 14.

§. 18. Respectu protoplastorum & posterorum simul (1) imaginis Divinæ privatio remanentibus tantum quibusdam ejus quasi ruderibus & vestigiis (2) horrenda naturæ depravatio etiam ad posteros propaganda Gen. V. 3. (3) reatus culpæ & pœnæ (4) omnes vitæ hujus miseriæ & calamitates (5) denunciatio luctuosæ in terram conversionis (6) protevangeliï manifestatio. Gen. III. 15.

§. 19. Respectu protoplastorum tantum rursus alia sunt utrique communia, alia uni eorum propria. Communia sunt (1) pudor ex agnitione nuditatis ignominiosæ Gen. III. 7. (2) Timor ex præsentia judicis offensi, omniscii, justi Gen. III. 8. (3) pavor & fuga ex citatione in judicium Gen. III. 8. 9. (4) vana nuditatis per folia obvelatio Gen. III. 7. (5) è paradiso ejectio (6) ab arbore vitæ exclusio (7) paradisi per Cherubimorum custodiam obstructio (8) vestium paratarum oblatio. Gen. III. 15. Propria verò respectu Adami (a) agri maledictio (b) laboriosa victus acquisitio Gen. III. 17. 18. 19. Propria respectu feminæ (a) difficilis uteri gestatio (b) difficilior partitudo (c) invita subjectio Gen. III. 16. (d) Evæ denominatio Gen. III. 20.

§. 20. Respectu denique posterorum tantum (1) conceptio & nati-
vitas peccaminosa (2) horrendæ hujus corruptionis accidentalis per car-
nalem generationem etiam in liberos suos propagatio.

§. 21. Commissum hoc peccatum in paradiso, horto in Eden, seu
orientali plagâ respectu Judææ, in cujus per peccatum amissi memoriam
Christianos inter orandum se convertisse ad orientem putat Damascenus
l. 4. de fide c. 13. postquam DEus hominem conditum in paradiso collo-
caverat Gen. II. 15. ut eum coleret v. 16. agriculturâ juxta Augustinum
non laboriosâ, peccati pœna Gen. III. 17., sed delitiosâ, & custodiret
Gen. II. 16. inq̄ve eo, ut sede ecclesiæ, typo vitæ æternæ, & gymnasio pie-
tatis, DEum coleret.

§. 22. Denique ob peccatum hoc protoplasti cum ignominia e-
missi sunt è paradiso Gen. III. 23., non secus ac adultera à marito solet eji-
ci sine spe receptionis. Ita enim verbum usurpatur Deut. XXIV. 1. Quan-
do id factum variæ sunt opiniones. Quidam putant eos ipso statim crea-
tionis die peccasse & ejectos esse. Alii id factum censent octavo, alii deci-
mo, alii denique decimo tertio à creationis initio. De quibus
vid. Calov. Comm. in Gen. p. 441.



§. 14. Forma hujus peccati absolvitur conge-
nōm interiorum, v. g. addubitatione & incredulita-
Deiformitatis, propositoque comedendi, & exteriori-
tā ex arbore illā in obedientiæ experimentum positā, a-
xione à lege DEI positivā seu ejus transgressione Genes
intuitu hoc peccatum vocatur *μαρβανς* Rom. V. 14.

§. 15. Quamvis verò DEus hoc peccatum prin-
nequaquam tamen illud decreto quodam invariabili ve-
procuravit, ut ita occasionem misericordiæ & justitiæ si-
manifestandæ fortiretur: Contrarium testatur Scriptura
illud, dum liberam peccaturi, susque deqve habitis inter-
vinis, hominis voluntatem Physicè impedire noluit v.
Physicam actūs non concurrento, objectum non rem-
turum destruendo, vel ei vim majorem injiciendo. M-
dice Augustino, illa fuerit benevolentia, quæ velit ali-
rum, ut ejus possit misereri. Qui, ut faciat misericordiā
feros, crudelem habuerit misericordiam. Quomodo si
ceret artem suam, optaret multos esse ægros, crudeli-
Finis, quem quidem DEus permittendo hoc peccatum
homine liberè, ipso quamvis non volente, sed moralit-
prohibente etiam sub certissimā gravissimāque poenā,
hoc peccato præter etiam & contra naturam tanti pec-
tiam & bonitatem suam ingens quoddam eliceret bonu-
nis lapsi per Christum reparationem Rom. XI. 32. in laud-
tiæ suæ. Diabolus contra seductione protoplastorum D-
posset, ægre facere, & ita severum adeo vindicis DEI in su-
dicium, quodammodo hominum seductione ulcisci &
DEI indignum iræque DEI obnoxium factum in æternu-
tare. Hominis deniq; quem spe jam devoraverat, fin-
stione fructus, tantā se (vavitate visui & appetitui insinua-
cipienda summa voluptas, conjuncta cum promissā &
excellentiore cujusdam sapientiæ & similitudinis cum
Conf. Gen. III. 6.

§. 16. Consequentia peccati primi hominum v-
dam respectu (1) Diaboli seductoris (2) serpentis, orga-
protoplastorum & posterorum simul (4) protoplastoru-
sterorum tantum.

